

FRATER NICOLAUS VNDERVVALDENSIS EREMITA.



Nicolaus ille apud Vnderuualdenses Helueti-
os natus & educatus fuit. Is cum adoleuisset,
uxorem atq; plurimos liberos procreauit. Erat au-
tem innocentia uitæ insignis, qui stipendijs exter-
norum principum contemptis, suis laboribus sibi
& familiæ uictum comparabat. Cum hac ratione
aliquandiu perseverasset, tandem quorundam fa-
stu offensus, secessum querere, & huius mundi ille-
cebras fugere cogitauit. Itaq; consensu impetrato
uxorem cum decem liberis reliquit, & sese in solitu-
dinem conferens, supra locum Saxlen exiguam cel-
lam sibi parauit. Habebat illa in longitudinem pas-
sus tres, in latitudinem uerò passum unum cum di-
midio. altitudo erat ut ipse ibidem erectus stare posset.